



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An possit ratione naturali cognosci creationem aliquorum entium possibilem, an etiam necessariam: vel (quod idem est) An vnum in quantum ens possit essentialiter dependere effectiue ab alio ente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

mine repositum, etiam le est causa vt fortuna: tamē respectu illius dicitur mala fortuna, respectu alterius bona: hæc enim nomina non significant diuersas causas per se, aut uinas, sed denominationes sumptas ex effectibus prosperis vel aduersis. Atque ita explicuit rationem fortunæ Aristot. 2. Physic. 5. & lib. de bona fortuna.

X.

Fortuna est
fatum diuini
na subiacent
voluntati.

Solum sunt duo aduertenda. Vnum est fortunam ita esse sumptam ab a quibus Philosophis, ac si effectus eius nulli omnino providentiæ subessent, & à nulla causa etiam summa essent intenti, præuisi, aut ordinati. Et hac ratione reprehendit se ipsum aliquando D. Aug. vt retract. cap. 1. quod vsus fuerit nomine fortunæ: os vero omnem fortunam subiicimus diuinæ providentiæ, quia nihil nobis casu accidit, quod à Deo non sit vel ordinatum, vel permixtum, vt supra declaratum est: & eleganter dictum est ab Aug. li. 3. de Trin. c. 4. his verbis: *Nihil sit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiori inuisibili, atq; intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam premiorum, atq; penarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creature amplissima quadam immensa, republica.* Idemq; attigit lib. 33. quæ. in 24. Alterum observandum est quosdam effectus in nobis fieri quos putamus fortuitos, eò quod illorum causam ignoremus, cum tamen non sint effectus, qui per accidens à nobis eueniant, sed per se in nobis fiant ab aliqua superiori causa, vt quod aliquis nihil tale intendens aut præcogitans, aliquem bonum motum animi in se sentiat, vel quod aliquis incessanter per hanc viam, quasi rapiatur desiderio & voluntate incedendi alia via, & ita effugiat hostium insidias, appellatur ab hominibus fortuna: habet tamen ille effectus causam per se intendentem illum, nempe Angelum aliquem, vel Deum ipsum. Et ideo dixit Aug. i. retract. c. 1. & lib. 1. contr. Academicos vulgò appellare fortunam, quæ occulto ordine regitur, & rationem & causam secretam habet. Quod etiam attigit Philosoph. lib. de bon. fortuna. c. 2. Atq; hæcenus de fortuna & de efficientibus causis reatis.

DISPUTATIO XX.

De prima causa efficiente, primæque actione,
quæ est creatio.

DE DEO glorioso duplex est in Metaphysica consideratio: scilicet quatenus est prima causa, & quatenus est primus ens: & quamquam hæc posterior ratio secundum se sit prior, altera tamen quoad nos, & iuxta doctrinæ ordinem quem proficimur, venit consideranda prius, um quia per effectus venimus in cognitionem Dei tum etiam, quia ad integram considerationem causarum entis vt sic, necessaria est præsens disputatio. Igitur de prima causa secundum se, & secundum eas perfectiones, quæ ipsi insunt, nihil nunc dicemus, inò neq; de existentia eius: sed supponimus nunc esse Deum, quod infra demonstrabimus. Supponimus autem ipsum non habere causam, quia necesse est sistere in aliquo ente nõ facto, cum non possit in infinitum procedi. Dicemus ergo de efficientia huius primæ actionis in alia, & de dependentia aliorum ab ipso. Quæ triplex esse aut considerari potest, scilicet in fieri in conservari, & in operari: & de his tribus dicemus in hac & duabus disputationibus sequentibus. Dependens autem in fieri potissimum in creatione consistit, tum quia hæc est propria dependentia entis in quantum ens, quam hic inquirimus, tum etiam, quia in hac actione consistit primum fieri (vt ita dicam) entium factibilium: & ideo de hac actione dicemus in hac disputatione: nã alij modi quibus prima causa potest res producere, & difficultatem non habent, & attinguntur satis in disput. sequentibus.

SECTIO I.

An possit ratione naturali cognosci, creationem aliorum entium esse possibilem, an etiam necessariam, vel (quod idem est) an unum ens in quantum ens, possit essentialiter dependere effectivè ab alio ente.



Vponendum in primis est, quid significet nomen creationis: nam quid res ipsa sit, postea declarabitur. Significat ergo creatio effectum alicuius rei ex nihilo, vt Theologi definiunt. Illa autem particula ex nihilo, vt distinguat hanc actionem ab aliis, excludit omnem concursum causæ materialis, & dependentiam rei, quæ creatur, ab aliquo subiecto, vt recte exponit Anselm. in Monolog. c. 8. ita vt idem sit dictum ex nihilo, quod ex nullo subiecto: atq; ita distinguitur hæc actio ab alia, quæ est per educationem de potentia subiecti. Hæc namque duæ actiones adæquate diuidunt omnem efficientiam: & ideo sicut per illam particulam sufficenter distinguitur creatio ab educatione, ita sufficenter etiam per illam explicatur ratio creationis. Vnde inferunt Theologi, quidquid creatur, debere esse subsistens, aut fieri per modum subsistentis, quia oportet, vt fiat extra subiectum seu sine dependentia à subiecto. Quod autem existit sine dependentia à subiecto, subsistit, vel habet se ad modum subsistentis: quod dico propter accedens, si fieret à Deo separatim à subiecto, quod verè crearetur, quia haberet modum essendi subsistentiæ similem. Anima vero rationalis etiam in corpore fiat, verè tamen sit ex nihilo, quia non fit ex ipso corpore: non enim ex eius potentia educitur, neque ab eo pendet in suo esse: & ideo verè etiam subsistit, dum in corpore sit, vt infra dicemus, tractando de subsistentia.

Rationes dubitandi.

Sic explicata voce creationis videtur non posse cognosci, ratione naturali creationem esse possibilem: primò, quia quod Aristoteles, Plato, & alij graues Philosophi non cognouerunt, verisimile est cognosci non posse naturali lumine: sed illi Philosophi ita ignorarunt creationem, vt tanquam primum principium ac per se notum haberent ex nihilo nihil fieri, vt constat ex Aristotele in 1. Physicorum: ergo.

Secundò de nullo ente potest demonstrari creationem esse possibilem. Antecedens patet, quia omne ens aut est substantia vel accedens: accedens autem, si sit in subiecto nec creatur, nec creari potest, etiam si maximè supernaturale sit, vt supra ostensum est: accedens autem esse & fieri separatim à subiecto non potest inueniri naturali ratione. Substantia deinde aut spiritualis est, aut materialis: illa prior vix potest per rationem naturalem inuestigari an sit, nedum demonstrari qualis vel vnde sit: ergo nõ potest cognosci euidenter, quod sit aliqua substantia spiritualis facta ab alio: & consequenter nec demonstrari potest creationem esse necessariam, vel possibilem propter has substantias. Substantia autem materialis semper fit ex materia: quod autem materia ipsa sit facta, aut efficientia alterius indigens vt esse possit, non potest demonstrari: vnde Plato & multi Philosophi posuerunt illam æternam & improductam: neque apparet naturale medium, quo oppositum demonstrari possit. Nam si quod esset, maximè imperfecto, & potentialitas materię. Sed cur dici non potest materiam ex se habere hanc suam entitatem, quamuis minimam & imperfectam? Neque enim est per se notum hanc imper-

imperfectiorem potentialitatis passivæ habere necessariam connexionem cum alia imperfectiorem potentialitatis obiectivæ, quam includit res effectiōne vel creatione indigens.

Tercio, ad creandum requiritur virtus infinita, sed non potest demonstrari esse possibilem virtutem actuam infinitam: ergo nec esse possibilem creationem. Maior declaratur à posteriori quia aliàs creatura posset habere virtutem creandi, quia si non repugnat ob infinitatē virtutis, non est cur repugnet: consequens autem per se satis absurdum est. Minor vero probatur, quia nullum est naturale mediū demonstrandi virtutem infinitam in agendo: Aristot. enim ex motu conatus esse id demonstrare; nō est tamen allicurus, vt infra ostendam: est autem eadem ratio de quacunque alia naturali ratione. Vnde multum ex creatione conatur demonstrare esse aliquam virtutem infinitam in agendo: sed hic est circulus vel petitio principii in hac re, de qua disputamus.

Quarto, repugnat ens in quantum ens fieri: ergo repugnat aliquod creati: consequentia constat ex definitione creationis: quia si aliquid sit ex nihilo, sit per se primo secundum totam rationem entis, ergo per se primo, in quantum ens. Antecedens probatur primo, quia si ens in quantum ens, esset factibile, omne ens esset factibile: quia quod convenit alicui rationi per se primo & secundum quod ipsa, convenit omni ei in quo talis ratio invenitur, hoc autē est plane falsum, quia necesse est dari aliquod ens, quod fieri non possit: aliàs procederetur in infinitum in producentibus & productis, quod est impossibile. Secundo probatur idem antecedens, quia ens in quantum ens abstrahit ab entitate secundum esse existentiz, & secundum esse essentiz: impossibile autem est fieri aliquod ens secundum totum hoc esse: ergo impossibile est fieri in quantum ens. Vnde etiam fit, esse impossibile fieri ex nihilo, quia impossibile est fieri secundum esse existentiz quin supponatur secundum esse essentiz: quod esse non est omnino nihil: nam per illud distinguuntur res veræ à fictitiis, & chimericis: ergo.

Opiniones variae.

¶ Prima fuit multorum Theologorum opinio non posse demonstrari rem aliquam esse factam, vel fieri per creationem. Ita tenet Gregor. in 2. dist. 1. questione 2. versus finem, & inclinatur ibid. Gabriel. quest. 2. artic. 2. Tenet Bassolis in 1. d. 1. quest. 1. artic. 3. Qui auctores à fortiori supponunt non posse demonstrari omne ens distinctum à Deo, esse factum ab ipso, aut non posse esse plura entia realia improducta. Quamvis enim admissa creatione aliquorum entium, non statim euidenter inferatur esse impossibile dari duas naturas increatas, vel omne ens distinctum à Deo esse ab ipso factum, sed hoc propria demonstratione indigeat: tamen si creatio non esset possibilis, impossibile omnino esset omnia entia distincta à Deo, facta esse ab ipso, quia euidenter est multa esse entia, quæ non possunt fieri, nisi per creationem, si fieri debeant. Vt res omnes spirituales, quæ cum materia non habeant, non possunt fieri ex præsupposito subiecto: item celi, si supponamus eos non posse fieri per generationem, sicut natura, operatio, motus, & quidquid de illis experimur, satis videntur offendere: item materia prima, quæ ex priora materia fieri non potest.

¶ Secunda sententia est, hanc veritatem posse demonstrari ratione naturali. Hæc est communior sententia Theologorum, quam tenet D. Tho. in 2. d. 1. p. 2. artic. 2. idemq. supponit in 1. p. q. 44. ar. 1. & q. 45. ar. 2. tenet etiam Alens. 2. p. q. 6. ar. 6. Scot. in 1. d. 8. q. 1. Argentin. in 2. d. 1. q. 1. Heræus quodlib. 2. q. 1. Henric. quodlib. 8. q. 6. Et hæc sententia conformior divinis Scripturis: illæ enim docent ex hoc mundo visum Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

bili posse ostendi Deum esse, quia ipsæ creaturæ clamant habere se alium auctorem, vel factorem: quæ loca expendemus inferius, cum demonstraverimus Deum esse. Sancti etiam Patres eodē modo loquuntur, quos infra eodem loco referam. Estq. sine dubio hæc vera sententia, quæ non potest melius probari, quam afferendo media quibus hæc veritas demonstrari potest.

Questionis resolutio.

¶ Voigitur probare possumus: vnum est creationem esse possibilem: aliud est creationem actu esse, vel factam esse, vel exerceri in vniuerso ab aliqua causa efficiente. Ex quibus eliciemus tertium, nimirum dari in vniuerso, esseque necessariam vnam primam causam, ad quam omnia alia entia, quæ habent esse reducuntur per creationem, tanquam ad primam originem sui esse.

Esse possibilem creationem, ostenditur.

¶ Primo ergo creationem esse possibilem probare possumus à priori, si aliunde supponamus probatum Deum esse, & summè perfectum esse, quantum in latitudine entis esse aut intelligi potest. Nam, vt infra citato loco dicam, quamvis absolute nos nō possimus cognoscere Deum vel perfectiones eius à priori, tamen supposito aliquo principio, vel attributo à posteriori demonstrato, ex illo possumus colligere à priori aliud, vt immortalitatem ex immaterialitate. Sic igitur in præsentī supponimus demonstratum dari vnum supremum ens perfectissimum: imo etiam potentissimum, vt infra probabimus, nō ex creatione, ne petamus principium, sed ex aliis mediis. Iam igitur argumentor in hunc modum, nam effectio per creationem non est ita impossibilis, vt in se inuoluat repugnantiam aut contradictionem: ergo nec potentia ad agendum hoc modo est in se impossibilis, aut repugnantia, aut imperfectiorem inuoluens: ergo talis potentia est de facto in aliquo ente, saltem in primo: ergo ex vi illius est possibilis creatio. Hæc vltima consequentia clara est, distinguere autem oportet illam vocem seu denominationē possibilis: vno enim modo negatiue sumitur, prout idem est quod non repugnans: alio modo positue pro eo, quod potest esse aut fieri, quo sensu dicit denominationem ab aliqua potentia vel actiua, vel passiva. In antecedenti ergo sumitur possibile priori modo, in consequenti vero posteriori: nam vt creatio sit possibilis duo necessaria sunt & sufficiunt, vnum, vt in se non repugnet, aliud, vt per aliquam potentiam sit possibilis: & ita supposito antecedenti consecutio est euidenter.

¶ Primum autem antecedens probatur primo, quia nulla ostendi potest repugnantia, in eo quod aliquid ex nihilo fiat, in vero sensu à nobis declarato. Non enim fingendum est, vt quidam putarunt, ipsum nihil futurum esse materiam, ex qua tale ens fiat, quod plane repugnat: nam illa particula ex nō dicit ibi habitudinem materialis causæ, sed termini à quo: sic autem nulla est repugnantia, vt id, quod ex se nihil erat, incipiat esse aliquid per effectiōnem alterius. Quod si velimus illam particulam ex iuxta habitudinem materialis causæ interpretari, nō positue, sed negatiue exponenda est, vt id dicatur fieri ex nihilo, quod non ex aliqua materiali causa fit: in quo etiam nulla potest repugnantia ostendi: curenim, sicut fit aliquid in actu, quod prius erat possibile per potentiam actiuam & passiuam simul, non poterit etiā fieri in actu aliquid, quod sit possibile per solam potentiā agentis, eminentiorem, magisque efficacem?

¶ Dices: Sicut repugnat aliquid fieri in actu, quod prius esset possibile per solam potentiam passiuam sine actiua, ita e conuerso repugnat fieri in actu aliquid, quod tantū sit possibile per potentiā actiuam

VIII.

IX.

X.

XI.

Obiectiō
facta sit.

R r

line

sine passiua: cur enim non potest esse effectus à potentia patiente sine agente, si esse potest ab agente sine recipiente? Respondetur satis perspicuum esse ratione diuersitatis: nam actio ut actio, dicit essentialem ordinem ad efficiens, & ideo implicat contradictionem esse actionem sine agente: actio vero ut actio non dicit essentialem ordinem ad passum, neque ad passionem, loquendo de actione in tota sua latitudine, sed dicit habitudinem ad effectum, qui per illam fit, & dependet ab agente causa. Et similiter potentia passiua dicit adæquatam habitudinem ad actiuam, quia non potest recipere aliquid, nisi ab aliquo illud recipiat: potentia vero actiua non dicit adæquatam habitudinem ad passiua, ut infra suo loco latius dicemus, quia non est de ratione potentie actiue, ut possit agere in aliquo, sed ut possit agere aliquid: & ideo potest aliquid esse possibile simpliciter per solam potentiam actiuam, non vero per solam potentiam passiua. Præterea passiua est imperfecta: & sola non est simpliciter potens ad effectum, nisi perficiatur per actiuam: actiua vero est ex suo genere perfecta: & ideo ex se nullam inuoluit repugnantiam, ut aliqua potentia actiua fit in suo ordine adeo perfecta, ut se sola, & sine dependentia à passiua, in se virtute contineat & effectum, & actionem. Et ita simul probata est prima consequentia, quæ etiã est euidentissima supposito antecedente. Quæ enim maior repugnantia excogitari potest in huiusmodi potentia: quam in dicto modo efficiendi: aut quanam imperfectio, & non potius maxima perfectio?

XII.

Et utrumque confirmari potest, si per illud ex nihilo intelligamus significari, ut tota res, quæ per se primo fit ut adæquatus terminus actionis, qui vocatur ut quod, omnino & secundum suam totam entitatem fiat, nulla eius parte, aut repræsupposita: omnes enim hi sensus veri sunt, & eodem deuoluuntur. Sed in hoc etiam indicatur magna perfectio ex parte virtutis actiue, & nulla est repugnantia ex parte effectus, vel effectiōis eius. Nam quod res tota, quæ non erat secundum se totam, accipiat esse, quanam implicatio est? Certè ex terminis nulla apparet maior, quam in eo, quod res, quæ tantum erat inchoata secundum unam partem, perficiatur per adiectionem alterius partis, quæ prius non erat, nisi quod illud prius requirit maiorem vim in agendo. Non est ergo in huiusmodi potentia vel effectiōe aliqua repugnantia, sed tantum maior perfectio. Solū posset quis hæsitare qualis possit esse hæc actio sine subiecto, aut quomodo id non repugnet. Sed hoc explicabitur facile in sequentibus satis enim nunc est, quod in eo nulla ostenditur repugnantia. Eo vel maxime, quod aliqui intelligunt creationem absq; transeunte actione.

XIII.

Superest probanda secunda consequentia, in qua est vis illius rationis, nimirum hanc potentiam ponendam esse in rerum natura saltem in primo ente, si in se non inuoluit repugnantiam vel imperfectiōnem. Hoc autem probari potest primo ex illo generali principio, quod in primo ente est formaliter omnino perfectio simpliciter simplex, quod demonstrabimus infra tractando de perfectione primi entis. Nā huiusmodi potentia ex proprio obiectiuo conceptu dicit perfectionem simpliciter simplicem, dicit enim perfectionem ex se non repugnantem, neq; inuoluentem imperfectiōnem. Ex quo plane fit, ut in latitudine entis melius sit habere illam, quam non illam, in quo consistit ratio perfectionis simpliciter: ergo talis potentia necessario tribuenda est primo enti. Idem fere argumentum est, quod hæc potentia necessario includitur in omnipotentia, quia omnipotentia se extendit ad omne possibile, id est, ad omne ex se non repugnans: sed de ratione primi entis est, ut habeat omnipotentiam: ergo & quod habeat hanc potentiam. Totum antecedens demonstrandum est infra tractando de attributis primi entis.

XIV.

His accedunt rationes alie per se valde probabi-

les: nam hic modus agendi sine dependentia ab alia causa extra se siue efficiente, siue materiali, est valde contentaneus essentiali perfectioni primi entis. Primo quidem, quia modus agendi est proportionatus omni independentia: ergo modus etiam agendi priorius eius erit indepēdens ab omni causa etiam materiali. Secundo, quia virtus actiua definita ad agendum in subiecto & ex subiecto, est valde contracta & limitata: ergo non est attribuenda primo enti, quia non est unde possit in illo habere talem limitationem: nam virtus agendi est proportionata essentia: sicut ergo essentia primi entis eo quod purus actus sit, non est unde habeat limitationem, ita neque virtus eius. Tertio, quia rationi contentaneum est, ut in Deo sit potentia altioris rationis, quam in omni alio agente naturali seu creato, sed alia omnia indigent subiecto ad agendum: ergo diuina potentia non debet esse ita indigens, sed quo perfectior est, eo liberior debet esse ad agendum: maxime cum ille excessus sit in gradu, & in omni perfectione possibili.

Creationem esse de facto ostenditur.

Secundo addendum est (quo euidentius confirmabitur præcedens conclusio) creationem necessariam esse in entibus, quæ nunc sunt, ita ut sine illa esse non potuerint. Probatum primo inductione incipiendo à rebus materialibus. Et in primis inquirere debet de corporibus celestibus an facta sint, an infecta. Hoc potius dici non potest primo propter rationem communem omnibus rebus finitis, de qua statim: deinde, quia res multo nobiliores celis non sunt, quæ celi adeo sunt imperfecti, ut indigeant motu ad complementum suarum actionum, & præterea extrinseco motore, qui illos moueat: eo quod ex se motum illum habere non possint: ergo multo minus verisimile est ex se habere esse. Itaque videmus celos in omnibus suis virtutibus, sitibus, speciebus, & motibus, ita esse constitutos, sicut expectabat ad conseruationem inferiorum rerum, & earum generationes & corruptiones: ergo est euidentis argumentum non esse à se, sed condita fuisse à communi omnium auctore. Quam rationem latius prosequemur, infra demonstrando Deum esse. Si autem celi facti sunt, interrogo rursus, an consent ex materia elementaria, & ideo ex illa sint facti: & sic eadem ratio erit de illis, quæ de rebus generabilibus, an vero consent ex materia altioris rationis, vel sint simplicia entia: & sic clauditur non nisi per creationem factos esse, quia si sunt simplicia, nullo modo potuerunt aliter fieri, ut per se manifestum est. Si vero constant superiori materia, ideo est, quia sunt ingenerabiles: ideoque per solam creationem fieri potuerunt. Adde, quod rationes, quibus statim probabimus materiam rerum generabilium non posse esse infectam, & quæ probant de materia celestium corporum.

Venio ergo ad inferiorem mundum, quatenus elementa & mista complectitur: & interrogo, an hæc moles facta sit necne, non potest dici non facta, quia omnes species rerum, quæ in illa sunt, in suis indiuiduis sunt: ergo in nulla specie illarum rerum potest esse aliquod indiuiduum non factum, sed ex se habens esse: nam hæc esset magna differentia, & maxime essentialis inter tale indiuiduum, & alia, & consequenter non essent eiusdem speciei. Unde sicut Arist. sepe contra Platonem argumentatur, non dari hominem separatim ab indiuiduis, quia ille esset incorruptibilis, hæc vero corruptibilia, & ita non essent eiusdem speciei: ita nos dicimus, non dari hominem singularem, qui ex se habeat esse sine efficientia alius causæ, alias non esset eiusdem speciei cum aliis hominibus: & idem argumentum est de reliquis speciebus, atq; adeo de tota hac mole corporea elementarium.

partium rerum. Nam licet elementa dici soleat à Philosophis incorruptibilia secundum se tota, & corruptibilia secundum partes, non est id intelligendum de incorruptibilitate intrinseca per constitutionem naturæ, nam hoc modo eadem est natura totius & partium, præsertim homogenearum: sed de incorruptibilitate ex virtute & modo agendi naturalium causarum, quia sic nunquam possunt elementa secundum se tota corrumpi: absolute tamen generabilia sunt, & ita non potuerunt ex se habere esse sine effectione: non est ergo non facta hæc corporum moles.

Rursus ergo interrogo, an facta sit ex nihilo, vel ex materia: si primum, habetur intentum, si secundum (quod omnes fere Philosophi existimant) interrogo rursus, an materia ipsa facta sit, necne. Et quidè Philosophi fere omnes materiam negant esse factam, sed asserunt esse cœternam Deo, & ex se ac omnino necessario habentē esse. In quo errore fuisse Stoicos & Pythagoreos, & Platonem ipsum, & Hermetem Trismegistum refert Tertullianus lib. contra Hermogenem c. 1. & 8. & libro contra Valentin. c. 15. & 16. & significat Irenæus lib. 2. cap. 19. Epiphanius vero hæret. 7. etiam Peripateticos adiungit: & Lactantius lib. 1. de origine erroris dicit, & Poetas & Philosophos idem sensisse, & specialiter designat Academicos, & maxime Ciceronem libro de natura Deorum. Quos Philosophos hæretici multi imitati sunt, ut Hermogenes, Manichæus, & alii, ut constat ex Tertulliano supra, & Augustino libro de hæresibus in 46. & Gregor. Nissen. lib. de officio hominis, c. 23. & Euseb. lib. 7. de preparat. Euang. c. 8. & 9. ubi etiam Sabellio hunc tribuit errorem.

Verum tamen hoc esse alienum ab omni ratione naturali, præter dicta in priori assertionem, & præter ea quæ communia sunt omnibus entibus creatis, ostendit potest primo ex imperfectione materiæ primæ, nam cum illa sit infima omnium substantiarum etiam corruptibilium, incredibile est illam habere hanc perfectionem summā, quæ est ex se habere esse, cuius perfectionis aliæ species omnes rerum generabilium, & formæ illarum non sunt capaces. Vnde sumi potest secunda ratio, nam si materia est cogitans Deo, & ex se habens esse, vel ut sic fuit carens omni forma substantiali, vel ex se habuit aliquam. Primum dici non potest, quia repugnantiam inuoluit, nam licet non implicet contradictionem, tamen est alienum à naturali ordine rerum, & ideo verisimile non est materiam ex se habere suam entitatem, & tamen habere illam in statu præternaturali, & absque illa formali perfectione, & consequenter absq. vfu vel vtilitate. Si autem habuit formam aliquam ex se: ergo iam non sola materia, sed quedam substantia integra est ex se habens esse. Ex quo ulterius fit, totā illam substantiam esse simpliciter necessariam, & tam non posse non esse, quam ipsam materiam primam quia quod est independens ab alio in suo esse, non potest illud amittere. Vnde etiam fiet illam materiā non posse deferuire ad alias generationes, quia semper manebit sub illa forma.

Dicit forte aliquis, materiam ex se habere suam entitatem perpetuam, & formam etiam habuisse perpetuam, non tamen ex se, sed à Deo. Sed hoc etiam dici non potest, tum quia repugnantiam inuoluit, quod ex se habeat esse, & non quidquid necessarium est ad esse: tum etiam quia aliā illa forma ex necessitate nature manaret à Deo: nam si fieret libere, vnde constaret esse æternam? est autem contra rationē naturalem dicere, Deum agere extra se ex necessitate naturæ. Et præterea sequitur, quia necessitate agit Deus illam formam, eadem conseruare illam: & consequenter materiam ex necessitate semper esse sub illa forma, ideoq. minime posse ad rerum generationes vel corruptiones deferuire.

Relinquitur ergo, materiam, cum ex se non sit indiguisse aliquo principio efficiente à quo facta sit: nō Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

potuit autem nisi per creationem fieri, quia non potuit fieri ex priori materia: ergo necessaria est omnino creatio alicuius rei, ut hæc res materiales possint existere. Dices: Non potuit effectio materiæ esse creatio, quia creatio est rei subsistentis ut diximus, materia autem non est res subsistens, quia non est id quod est. Respondent aliqui, materiam, licet non proprie creetur propter dictam rationem, creari tamen saltem improprie seu largo modo. Dico autem duobus modis posse intelligi materiam fieri: primo per se solam ac separatam à forma: & tunc sine dubio crearetur propriissime: nam & esset subsistens, & fieret per modum totius, quamuis ipsa de se sit pars, anima enim rationalis etiam est pars, & tamen propriissime creatur. Imo, si quantitas fieret separata, proprie crearetur ex omnium sententia. Alio vero modo fieri potest materia (& ita credimus esse factā) existens sub aliqua forma: & tunc, proprie loquēdo, totum compositum ex materia & tali forma dicitur creari, quia illud proprie est: fieri autem ei proprie tribuitur, cui & esset: tunc autem materia dicitur cōcreari, quod satis est ad demonstrationem quam intendimus: nam illi actioni quatenus per eam fit totum, & nihil ei præsupponitur, conuenit ratio productionis ex nihilo. Si autem accurate velimus distinguere illam actionem compositam in plures partiales quibus constat, inueniemus totam rationem creationis, quæ in illa est, provenire ex ea parte, quæ est effectio materiæ ex nihilo, ut supra tactum est explicando eductionem formæ ex potentia materiæ. Atque ita Patres & Doctores Ecclesiæ absolute & sine villo addito docent ac demonstrant materiam esse creatam à Deo, ut videre licet in Tertulliano, Irenæo, Lactantio, Euseb. Epiphani. Gregor. Niss. & August. locis paulò ante citatis. Et Augustino etiam lib. 1. Genes. ad liter. c. 14. & 12. Confess. cap. 4. & Ambros. lib. 1. Hexam. c. 1. & Athanas. lib. de Incarnat. Verb. in princip. & aliis passim.

Supererat dicendum ad complendam hanc inductionem de intelligentiis, seu rebus immaterialibus. Verum tamen de illis illud fieri potest speciale argumentum, præter illud vniuersale sumptum ex hoc principio, quod repugnat dari plura entia improducta, & quod ens improductum seu à se, est infinite perfectum in genere entis: quia neq. speciales rationes, neque differentię, neque aliqui effectus proprii intelligentiarum nobis innotescunt, ex quibus demonstramus illas habere esse ab alio, & non à se. Loquor autem de demonstratione simpliciter, quia nonnulla coniectura sumi potest ex motu cœli, ut infra ostendam, demonstrando Deum esse. Vbi etiam illud principium ex professo demonstrandum est: nunc autem supponatur. Ex eo autem, quod intelligentiæ habent causam efficientem, euidenter infertur necessariam esse creationem ut illæ sint: quia cum non habeant causam materialem, ut supra tactum est, non possunt per alium modum productionis fieri. Quod optimè confirmat productio animæ rationalis, quæ esse non potest nisi creatio: quia non est eductio de potentia materiæ, ut supra etiam probatum est. Quæ ratio probat necessariā esse creationem ut homines generentur, quia semper admiscetur (ut ita dicam) eorum generationi. Vnde tam frequens est creationis vsus, quā humanæ generationis. Nisi quis ita desipiat, ut dicat animas rationales præexistere ante corpora, quod esset error non solum in fide, sed etiam contra rationem naturalem, ut suo loco ostendendum est, quia ad præsens nō refert. Nam etiam si animæ essent ante corpora, non tamen essent à se, & sine efficiente: quia, præter alias rationes tactas, cum anima sit naturalis forma corporis, si ex se necessario esset, ex æternitate existeret informando corpus: nam res, quæ ex se habet esse, non potest habere illud in præternaturali statu, & quasi violento, qualis est status animæ extra corpus. Igitur siue ani-

R r 2 main-

XXI.

ma incipiat cum corpore, siue ante illud, necessariū est habere causam efficientem, & consequenter fieri per creationem.

Demonstratur prima causa creans.

XXII. Tercio dicendum est (& colligitur ex dictis) necessariam esse in vniuerso vnam primam causam efficientem, quæ per creationem res alias effecerit. Hoc satis patet ex discursu facto in præcedente assertionem. Et necessitas huius primæ causæ efficientis respectu cæterorum omnium entium demonstranda est latius in citato loco. Quod autem, hac necessitate supposita, non potuerit illa prima causa absque creatione originem dare cæteris rebus, constat ex definitione creationis supra datæ: quia non potuit prima causa ex aliqua materia res producere, quia non omnes res productæ habent materiam, & in his quæ illam habent, ipsa etiā materia debuit produci. Solum est aduertendum, species rerum generabilium potuisse fieri in suis primis indiuiduis ex materia prius tempore existente: & tunc non fieret per creationem in toto rigore: quatenus tamen necessario supponunt creationem materiæ, eatenus dicimus esse necessariam creationem ad earum productionem. Et hac ratione nomen creationis, præsertim in vsu Sanctorum Patrum, extendi sæpe solet ad nouā productionem ex præeistente materia creata, vt patet ex Aug. lib. 1. con. adu. leg. & Proph. c. 24.

Soluntur argumenta, & quid Philosophi de creatione senserint.

XXIII. Ad argumenta respondeo, in primo eorum petitur, vt explicemus quid in hac veritate Philosophi senserint: & præsertim Aristot. De qua re multa disputauit Eugubinus lib. 7. Peren. Philosoph. c. 3. & sequentibus. Sed quod ad alios Philosophos attinet, docent quidem illi, sæpe mundum hunc creatū fuisse ab aliquo primo auctore, tamen si recte expendatur, non illi attribuunt veram creationem, sed formationem ex præeistente materia, quam etiam *chaos* appellauerunt, vt constat ex iis, quæ referunt Tertullianus, & alii auctores supra citati, & Lactantius lib. 7. c. 3. Et hoc quidem illi explicauerunt de effectione huius mundi sensibilis. De mundo autem superiori & intelligibili, id est, de angelis obscurissime locuti sunt: nec mirum, nam cum non potuerint illos ex *chaos* formare, non apparet quo modo potuerint illos à Deo productos constituere: nisi fortasse illos etiam materiales fecerint, quamuis corpore subtiliores: nā illi pro comperto habebant, Deum nihil posse producere, nisi vt artificem, qui ex præeistente materia operatur. Et hoc significauit Anaxagoras, quæ Arist. 1. Met. ca. 6. tex. 18. laudat, eo quod dixerit omnia esse permista præter mentem: eamque solam esse puram, & omni permissione liberam. Vnde & Galen. lib. de vsu p. c. 10. reprehendit Moysen quod dixerit, Deum imperio suo omnia produxisse.

XXIV. Aliis vero prætermis, de Arist. multi censent, illum non agnouisse creationem, vt Greg. in 2. dist. 1. quæst. 1. & Henric. quodlib. 8. quæst. 9. & landun. 2. Metaph. quæst. 5. Marfil. in 2. q. 1. art. 2. & Bessario lib. 2. cont. calumniat. Platon. c. 6. & idem videtur sentire Comment. 8. Physic. comm. 4. & ibid. Simplicius. Et habet hæc opinio non parua indicia in principiis Aristotelis. Primo, quia vbique admittit, & supponit illud principium, *Ex nihilo nihil fit*. Secundo, quia omnes actiones definit per ordinem ad potentiam passiuam: & omnem actionē sentit habere coniunctam passionem, & motum vel mutationem, vt constat ex 3. Physic. à principio. Quod si dicatur, Aristotelem illis locis loqui tantum de actione & efficiencia naturalium causarū: adhuc obstat, quia nun-

quam, etiam in Metaphysica, ad alium actionis modum doctrinam suam extendit. Quin potius 5. Met. c. 12. definit potentiam actiuam per ordinem ad passiuam, dicens esse potentiam transmutandi aliud in quantum aliud: & c. 2. eodem modo definit causam efficientem per ordinem ad motum: nō ergo agnouit alium efficiendi modum: Quod etiam cōfirmat, quia res incorruptibiles posuit æternas, sentiens esse per se necessarias: & ideo 2. Metaph. c. 1. in plurali ait, *Principia sempiternorum non habere causas*: per sempiterna autem intelligere videtur motus colorum, & perpetuam seriem generationum & corruptionum, quorum principia sunt celi & intelligentiæ.

Alii verò existimant, Aristotelem cognouisse creationem, & Deum esse creatorem omnium. Ita sentit Auerroes 2. Metaph. comm. 4. & 12. Metaph. com. 4. 4. & lib. de substan. orbis, c. 2. & Alex. Aphrodis. his locis, & D. Tho. ibid. c. 1. p. q. 4. 4. & 2. cont. Gent. cap. 15. & q. 3. de potentia, art. 6. & 8. Physic. lect. 2. Scotus quodlib. quæst. 7. & in 2. d. 1. p. 3. Thom. de Argen. q. 4. Herizus tractat. de æternitate mundi, quæst. 4. & alii. Et probatur, nam 2. Metaph. c. 1. dicit dari aliquod ens verissimum & perfectissimum omnium, quod sit causa cæterorum. Et loquitur plane de causa efficiente, vt vbi etiam Comment. exponit, dicens, solum primum ens esse per se ens & verum: cætera vero acquirere ab illo esse & veritatem. Vnde per illud plurale principia sempiternorum solum Deum intelligere videtur Arist. vel propter eminentiam eius, vel propter plures causandi rationes. Præterea in 1. de Colo. c. 9. tex. 100. ponit quandam naturam immortalem ac diuinam, vnde cæteris, aliis exactius, aliis effusius ipsum esse, vniuerque dependet, & c. de Generat. c. 10. tex. 59. ait non omnibus conuenire vt semper sint, quoniam quædam longe ab ipso principio ab sunt: & idcirco (ait) Deus modo deficienti consulens, vniuersum creauit, cum generationem instituisse continam lib. etiam 8. Physic. & 12. Metaph. concludit esse vnum primum ens, & principem omnium: non esset autē princeps, nisi esset principium omnium. Vnde Arist. 12. Met. tex. 38. ait, cælum & naturam pendere à Deo. Clarissime etiam docet eisdem locis dari vnum finem omnium: ex quo plane fit dari etiam vnum efficientem, quia, vt infra trademus, non potest esse finalis casualitas absque efficiente, non potest autem dari vna causa efficiens omnium nisi interueniente creatione, vti supra probatum est. Præterea 2. Met. cap. 2. probat illud principium, per quod maximè in cognitionem primæ causæ deuenimus, scilicet, non posse dari processum in infinitum in causis efficientibus. Denique in lib. de Mundo ad Alex. id clarissime docere videtur, *Quasi flagitium (inquit) esset in distributione rerum mundi præterire id quod summum in mundo habetur. Itaque vetus fama est, & quidem hereditaria mortalium omnium, vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta. Nec vero illa natura per se sufficit, orbata salute quam ille ferat.*

Alii distinctione vtuntur, dicentes Aristotelem non cognouisse creationem cum nouitate essendi: cognouisse autem creationem per modum emanationis naturalis, & æternæ à primo ente, & hoc modo posuisse res incorruptibiles manasse à Deo ex æternitate. Sed licet hoc de cæteris rebus possit sustineri, tamen de anima rationali non potest: nam ipse 2. de Generat. animal. cap. 3. ait, animam rationalem venire de foris, id est, non educi de potetia materiæ, & consequenter fieri per creationem. Potest autem de illa reddi specialis ratio, quia non fit nisi oblata creatione corporis, & propter compositum. Neque enim verisimile est Aristot. posuisse animam non factam, si reliqua omnia extra Deum cognouit esse facta. Neque etiam dici potest ipsum sensisse omnes animas fuisse æternas, & postea in tempore vni corpus: nam idem Aristot. 12. Metaph. c. 3. tex. 16. generatim ait, formam non præexistere prius quam vniatur materiæ, & aperte comprehendit rationalem animam.

Vide Aug.
lib. 11. de
Ciuil. c. 4.
& lib. 12.
c. 17.

Arist. quid
senserit.

animam nam subdit in illa esse singulare, quod maneat posterius, id est, post dissolutum compositum, in inceptione autem, eo quod simul cum composito incipiat, nullam admittit exceptionem. Hæc igitur pars verisimilior est, quamquam negari non possit Aristoteli exiguum de hac re cognitionem habuisse, id est, eo quod per pauca de hac efficientia tractasse, quamvis 9. Metaph. c. 1. satis insinuauerit agnouisse se potentiam actiuam, quæ non indiget motu, vel mutatione ad agendum.

Ad secundum argumentum satis probatum est contraria inductione, quomodo demonstratur aliqua esse entia, quæ non nisi per creationem fieri possunt, quod nobis præsertim constat de materialibus rebus. De immaterialibus vero solum ex hypothesi probamus, si quæ sunt extra Deum, non nisi per creationem fieri posse, neque etiam esse posse, si non fiat. An vero probetur ratione naturali dari huiusmodi substantias præter Deum, de animabus quidem rationalibus id supponimus ex scientia de anima, de aliis vero infra videbimus, nam ad præsens non refert.

Ad tertium de maiori propositione, scilicet, quod ad creandum requiratur virtus infinita, dicturi sumus. In sequenti, nunc solum dicimus, ex aliis mediis sufficienter probari, & creationem esse, & dari in rebus potentiam, quæ sit sufficiens principium illius, siue illa infinita esse debeat, siue finita sufficiat. Vnde, si aliunde satis probetur requiri ad creandum potentiam infinitam, ex necessitate creationis sufficienter concludetur dari in rebus potentiam infinitam. Neque erit petitio principii, aut vitiosus circulus, quia vel non probamus creationem esse possibilem ex infinitate illius potentie, sed quia aliunde colligimus necessitatem eius, & non repugnantiam, tum illius, tum etiam potentie, quæ sit principium eius, abstrahendo ab eo quod finita, vel infinita sit, vel si ex infinitate potentie concludamus creationem esse possibilem, sumimus ipsam potentiam infinitam, vt demonstratam ex infinitate essentiae & perfectionis diuinæ, quam ex aliis principiis colligimus, vt infra videbimus.

Ad quartum respondeo, propositionem illam, *per creationem fieri ens in quantum ens*, multiplicem sensum habere posse: vnus est, si illud in quantum reducatue sumatur, & cadat in rationem entis abstractissimam, & communem Deo ac creaturis. Et hic sensus est falsus: nam significatur per illum, ens ex vi illius præfixæ rationis esse terminum creationis, quod falsum est. Et hunc sensum supponit quartum illud argumentum, eumque sufficienter impugnat: nihil tamen obstat veritati creationis, quia illa propositio in eo sensu non sequitur ex definitione creationis, vt patet. Nam si fiat ens reduplicando tantum rationem entis finiti seu factibilis, id satis erit ad rationem creationis, nam sufficit, vt res fiat omnino ex nihilo. Atque hic esse potest alter sensus illius locutionis, qui verus est, & ex eo solum sequitur, omne ens finitum esse creabile. Quod etiam est verum. Vltimus autem & proprius sensus est, vt illud in quantum specificatiue tantum sumatur. Et hoc modo est verissima propositio, quia per creationem per se primo fit res secundum totam rationem entis, eo quod creatio nullam rationem entis in ea supponat. Nam iuxta doctrinam Aristotelis illud dicitur per se primo fieri, quod nullo modo supponitur in re quæ fit: fieri ergo ens in quantum ens, nihil aliud est, quam quod ipsa ratio entis per se primo fiat in tali effectu per talem rationem. Ex hoc autem sensu non sequitur, omne ens secundum rationem entis, quam in se habet, posse terminare creationem: quia, vt ex Dialectica constat, particula in quantum, specificatiue sumpta non infert vniuersalem sensum seu distributiuum, quia non denotat ad æquatam rationem, seu causam prædicati, sed solum designat partem vel rationem

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

secundum quam conuenit. Recte tamen infertur ex illo sensu, ipsam rationem entis vt sic non reperiri vniuerso in entibus, quæ terminare possunt creationem, & in ente increato, vt dicemus infra hanc diuisionem declarando.

Ad vltimam probationem sumptam ex eo, quod esse essentiae rerum supponatur creationi earum, qui existimant esse essentiae secundum se esse aliquid æternum, dicerent fortasse creationem esse ex nihilo existentiae, non vero essentiae. At vero VVicleph dixit creationem non esse productionem ex nihilo simpliciter, sed ex esse intelligibili ad esse extra Deum, vt refert VValdenfis, tom. 1. lib. 1. cap. 17. Scotus item in 2. d. 1. quæstione 2. ait creationem esse productionem ex nihilo, id est, non de aliquo secundum esse existentiae, nec secundum esse essentiae, non tamen ex nihilo, id est, de nullo modo ente, nec simpliciter, nec secundum quid: supponit vero res habere esse cognitum prius quam fiant. Veritas autem est, esse essentiae creaturæ, aut esse cognitum seu intelligibile, antequam creaturæ fiant, nihil reale esse extra Deum, vt dicemus latè infra, in disputat. de essentia & existentia creaturæ. Quapropter illud esse nihil obstat, quo minus per creationem fiat creatura ex nihilo, & in quantum ens.

XXX.

SECTIO II.

Virum ad creandum requiratur infinita vis agendi, & ideo ita sit Dei propria, vt creatura communicari non possit.



On defuerunt Philosophi, qui non solum de possibili, sed etiam de facto dicerent potentiam creandi communicatam esse creaturis, & angelum superiorem creasse inferiorem sibi proximum, & infimum creasse res corporeas. Quod opinatus est Auicenna, cuius opinionem supra tetigimus tractando de educatione formarum: & iterum occurret infra tractando de virtute actiua intelligentiarum creaturarum. Verà tamen accerta doctrina docet de facto nullam creaturam aliquid creasse, solum enim Deum omnium creatorem vera fides agnoscit, & Sancti omnes docent, præsertim D. Augustinus 12. de Ciuit. c. 24. Tertullianus lib. de præscript. hæretic. Damaſcenus lib. 2. cap. 3. & Cyrillus Alex. lib. 2. contra Iulianum sub finem. Ac tandem definitum est in c. Firmiter, de sum. Trinit. & fide Cathol.

I.

CREATURA
NISI
VNI
VERS
ALEM
CREA
TURAM

Ex hoc autem certo principio eadem fere certitudine colligitur, nullam creaturam de facto habere potestatem creandi, quia non est verisimile dedisse Deum alicui creaturæ hanc potestatem, & non concedere seu permittere illi vsum eius: nam ad Dei prouidentiam spectat, vt finat creaturas proprios motus seu actiones operari: & quia alias frustra, esset talis potentia in rerum naturâ. Item, quia quod à nulla naturali causa vnquam factum est, merito censetur impossibile per naturales causas. Atque ita & Patres, & Theologi omnes eodem modo, & sub eadem certitudine negant creaturam habere naturalem vim creandi, qua negant vnam creaturam creasse aliam.

II.

Quamuis autem hæc sint nobis certa ex reuelatione, inquirimus (quod præsentis muneris est proprium) an possint ratione naturali persuaderi, & convinci, quod omnino pendere censemus ex quæstione proposita, nam si probauerimus potestatem creandi ob infinitam perfectionem quam requirit, esse incommunicabilem creaturæ, demonstratum relinquetur id, quod de facto fides docet. Si autem potentia creandi non includit essentialiter illam infinitatem, & ideo non repugnat communicari creaturæ,

III.